Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1123

Quelle:
Copyright:

te ſubſtantialiter prędicentur. Initium: *Quero an pater et filius* &c. ut edit. *Lugd.* p. 281. Exemplaria *Vallini Johannem* illum *Sanctum*, non vero *Cardinalem* vocant. In Textu conſpirant. Continuantur nobis Scholia.

Fol. 14. *Item eiusdem ad eundem quomodo ſubſtancie in eo quod ſunt, bone ſint, cum non ſint ſubſtancialia bona.* Initium: *Poſtulas ut ex ebdomadibus noſtris* &c. ut edit. *Lugd.* p. 284. Lectio mendis non caret. Ad locum, qui diſputat de Bonitate per *participationem* vel per *ſubſtantiam*, et incipit: *Quaeſtio vero hujusmodi eſt* &c. notat Scholiaſtes: *Satis prouide et cum magna cautela legenda ſunt ea, quę hic ſequuntur, quia falſa argumenta ueris permixta ſunt, quę ab inuicem prouidenti iudici ſegreganda.* Non tangunt haec *Boethium*, ſed objectionem, cui ille deinceps reſpondet. Interim facile eſt cubare in mendo illa Textus verba: *Sed conceſſum eſt*; quamvis utraque etiam Editio ita legat.

Fol. 19. p. 2. *Incipit liber boecii aduerſus neſtorium et euticen pro perſona et natura domino ſancto ac uenerabili patri iohanni diacono boecius filius. Anxie te quidem diuque ſuſtinui* &c. ut edit. *Lugd.* p. 298. cujus ſinceritatem Textus noſter non adſequitur.

Fol. 44. p. 2. *De fide catholica ac uera.* Confeſſionem hanc primus edidit *Renatus Vallinus*, non *Wallinus*, ut eſt apud *Hambergerum*, ne *Suecum* putes, adhaerentem Opuſculo *fol.* 14. indicato, ut ad Codicem *ſeq.* dicam. Hic proprio, ut vides, titulo gaudet, et poſt verba: *ſed ad ordinem redeamus*, nova Rubrica: *De transgreſſione protoplaſti*, interſtinguitur. Init vero: *Chriſtianam fidem noui ac ueteris teſtamenti pandit auctoritas.* &c. Oſtendi ad Codicem *ſeq.* in quibus ejus lectio abeat ab edit. *cit.* Hic dabo lectiones ab utroque diſcrepantes. *Pag.* 289. edit. *deſignauerit affuturum* pro *ſignificauerit.* Inter *extitiſſe ſubſtantiam* et *Patrem itaque* omittuntur, quae habet *Vallinus. Pag.* 290. *ſed vocabulorum* pro *ſub vocabulorum. Hic generatio duorum commixtione* pro *haec generatio duorum corporum commixtione.* Verba: *quae res — in integro novum*, quae in edit. leguntur poſt *applicare*, trajecta ſunt poſt *fuiſſe natura. Loco tenentur* pro *ponentur. Pag.* 291. *illic poſſit hiſtorię* pro *illi. Pag.* 292. *terram miſeria* pro *terrenam miſeriam. Pag.* 293. *non deſiſtit* pro *non deſitit.* Verba *ex qua nobis — concederet*, in Cod. deſunt. *Tranſigendi famem videlicet cauſa* pro *tranſigendi cauſa. Mole deprimi* pro *premi. Per eorum egreſſionem* pro *pro eorum egreſſione. Univerſorum deus* pro *univerſorum conditor deus. Pag.* 294. *per ſingulas ſucceſſiones* omittit Codex. *Sub quo beata virgo* omiſſum *extitit. Jacebat in morte* pro *in mortem. A morte peruicacię* pro *a tumore pervicaciae. Pag.* 295. *illud ſibi deberi* pro *aliud ſibi deberi. Pag.* 296. *ut credat non ſolum* pro *ut credamus non ſolum. Homines ad Chriſtum vel examen*

pro